



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLIX. Argumentum. Disquiritur, An lucrum majus, sed incertum, possit emi minori lucro, sed certo Item an credita difficilia vendi possint minori pretio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

15. num. 4. Sylvest. *Verb. Usura* 6. *quæst.* 2. Covar. 3. *Resol.* cap. 3. num. 6. & Tamburin. *de Tripl. Jur.* d. lib. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. num. 13. & Magistrum in *Theolog. Moral.* d. *disput.* 5. num. 86. Qui omnes tamen advertunt, fœneratorem obligatum esse non solum pecuniam usurariam restituere mutuuario, sed etiam damnum emergens eidem, vel lucrum cessans, ob dictæ pecuniæ detentionem.

Neque obstant argumenta contraria.

Non Primum. Quia pecunia usuraria non est radix, sed materia, per quam industria operantis rem acquirit, & argumentum procedit in radice naturali, secus autem in metaphorica, ut ait Salas d. *dub.* 39. num. 4.

Non Secundum. Quia licet principaliter quis non debeat ex dolo suo commodum reportare, ex accidenti contrarium permittitur, prout est lucrum ex meretricio actu. Salas, Rebell. & Molin. *ubi sup.*

Non Tertium. Quia procedit in Juribus universalibus, ut hæreditatibus, vel fideicommissis. Molina d. *disput.* 327. in fin. & Rebell. d. lib. 8. *quæst.* 15. num. 5. vel axioma illud esse intelligendum non respectu unius, & ejusdem domini, sed diversorum juxta legum dispositionem. Salas d. *dub.* 39. num. 4. Vers. Facilius tamen respondetur.

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Disquiritur, An lucrum majus, sed incertum, possit emi minori lucro, sed certo? Item an credita difficilia vendi possint minori pretio?

SUMMARIUM.

1. Affecuratio lucri incerti per minus lucrum certum an licita? & num. 7.
2. Societatis natura quanam sit?
3. Sixti V. Bulla contra pacta illicita in Societatibus.
4. Contractus trium contractuum an licitus? Rationes, quod sit.
5. Periculum rei in quocunque contractu potest ex pacto pertinere ad accipientem illum.
6. Socius unus an possit nolle sentire partem damni?
7. Conditiones dua servanda in contractu trium contractuum affecurationis.
8. Credita difficilis exactionis an vendi possint minori summa?
9. Affirmativa opinionis rationes. Negativa num. 10.
11. Difficile si non sit emptori, quamvis venditori, an licitum?
12. Equus ferox an vili pretio emi possit ab eo, qui scit illum domare?
13. Minori pretio potest creditum emi propter pericula litium.
14. Divites, ac potentes, qui defatigant creditores suos, peccant.

Mercator petit a te Ducatos mille ad mercaturam prosequendam; asserens, & offerens tibi ex ea sexdecim Ducatos lucri pro centenario posse obvenire. Tu Ducatos octo pro centenario, sed certos, cum Mercatore predicto habere pacisceris. Queritur, An absque labe fœneratitia?

Quia de justitia hujus Casus magna est controversia, & variz Doctorum Sententiæ, ideo discordantia fuerunt responsa studentium; alii enim in eo agnoverunt labem fœneratitiam, alii

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

illum tanquam immunem ab ipsa patrocinati sunt.

Labem fœneratitiam esse in hoc casu pluribus visum fuit. Quia

Primò. Ibi est fœnus, ubi est mutuum cum lucro. Sed hic casus continet mutuum cum lucro. Ergo in eo est fœnus. Minorem probat Sotus *de Justit. & Jur.* lib. 6. *quæst.* 6. art. 2. ex eo, quod per affecurationem pecuniæ à mercatore recipiente factam, censetur in eum translatum pecuniæ dominium, saltem virtualiter; ita ut pro suo libito de ea disponere possit, ac si mutuum eam recepisset.

Secundò. Tunc fœneratitia labes in hoc casu non esset, si societas contracta fuisset. Sed consequens dici non potest; siquidem formalis ratio societatis est, ut æquale sit damnum, & lucrum inter socios. §. *De illa. Inst. De Societ. l. Verum.* 63. ff. *Pro socio.* Ergo neque antecedens.

Tertiò. Si licitus appellaretur hic casus, magnum aperiretur ostium usuris; nemo enim mutuari amplius vellet, sed sub colore negotiationis lucrum ultra fortem pacisci. Rebell. *de oblig. Just.* lib. 15. *quæst.* 4. Ergo.

Quartò. In Bulla Papæ Sixti Quinti, Incipien. *Detestabilis Avaritia*, (quæ est 45. in 2. tom. Bullar.) illicitum declaratur pactum, quo ab uno socio conferente capitale exigitur lucrum certum etiam in casu, quo nihil lucri haberetur. Sed tale est pactum in nostro casu. Ergo. Ideò ita sentiunt Abb. in cap. *Per vestras* num. 11. de *Donat.* Sotus *ubi supra.* Azor. 3. part. lib. 9. cap. 3. *quæst.* 9. Rebell. alios allegans d. lib. 5. *quæst.* 4. Reginald. cap. 29. num. 398. Lopez, Parlador, Malder. & alii apud Leotardum *de Usur.* *quæst.* 31. num. 12.

Nihilominus nullam esse fœneris labem in supradicto casu alii plurimi scripserunt, suppositis in eo illis tribus contractibus, quos fieri debere docet Navar. in *Man.* cap. 17. à num. 254. Primum scilicet societatis, secundum affecurationis capitalis, & tertium certi lucri ad tollendas molestias, & suspiciones computorum; relinquendo pro his duobus ultimis contractibus aliquam lucri portionem mercatori affecuranti pro compensando suscepto periculo: Nam.

Primò. Hi tres contractus ita secundum se liciti sunt, ut si cum diversis personis fiant, reprehendi non possint. Cardinal. de Lugo *de Justit. & Jur.* *disput.* 30. num. 4. Ergo à reprehensione immunes quoque esse debent, si spontè, & absque malitia inter eosdem socios firmentur.

Secundò. Omnes contractus sunt liciti, in quibus servatur æqualitas inter contrahentes, & si alicui majus periculum detur, eidem per majus lucrum compensatio concedatur. Lessius lib. 2. cap. 25. num. 26. Molina *disput.* 417. & est text. in *l. Mutius.* ff. *pro socio.* Sed ita fit in casu isto. Ergo licitus est censendus.

Tertiò. De natura commodati, locati, & depositi est, ut periculum rei traditæ spectet ad dominum ejusdem rei; & tamen fas est pacisci sub justa mercede, ut totum periculum ad recipientem pertineat. Ergo similiter in societate. Ita Molin. d. *disput.* 517. num. 2.

Quartò. Allegant DD. cap. *Per vestras.* de *Donat.* inter *Vir. & Uxor.* ubi præcipitur, dotem uxoris tradi mercatori ad securam negotiationem. Sed non convincit hic textus, quia potest intel-

L

ligi

vigi de morali securitate tantum. Ideo melius facit tex. in l. Si non fuerint. 29. ff. Pro socio, ubi dicitur, ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, quod aliter fieri non potest, nisi contractui societatis addatur contractus assicurationis. Ergo est licitus.

Hanc opinionem tanquam communio-rem dicimus amplectendam, prout eam communi-ter amplectuntur Theologi, quos allegat, & eo-rum verba refert Lessius d. lib. 2. cap. 25. num. 23. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 41. Bonacin. de Contr. d. tom. 2. disp. 3. quest. 3. punct. 11. Cardin. de Lugo d. disp. 30. num. 40. Diana part. 1. tract. 8. resol. 30. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resol. 49. Nec non Canonistæ, & Jurisperiti citati per Leotard. d. quest. 31. num. 13. inter quos Covaruv. Par. resol. libr. 3. cap. 2. num. 4. Ugo-lin. de Usur. capit. 55. §. 1. Scaccia de Commenc. §. 3. gloss. 3. num. 37. Marefcot. Par. lib. 2. cap. 133. num. 21. Gratian. discept. forens. cap. 360. num. 10. & 11. duobus tamen servatis requisitis. Uno, quod mercator iste verus sit Mercator, & mer- caturam ex hac pecunia exercere velit. Altero, quod non cogatur assicurare capitale, & lu- crum focii, sed ultroneus sit in hac assicuratio- ne faciendâ. Vide infra Decis. LXXVIII.

Non obstant argumenta contraria, Non Pri- mum: quia expressè negatur, in hoc casu inesse mutuum; & eo minus transferri dominium pecuniæ; id enim non operatur Assicuratio, prout de locato, commodato, & deposito no- tum est; & si mercator moreretur, extante ea pecunia, vindicari posset à te, cum prælatione respectu aliorum creditorum, ut probat Cardin. de Lugo d. disp. 30. num. 43. Non Secundum, quia æqualitas inter utrumque contrahentem serva- tur, attenda compensatione periculi, & incerti- tudinis lucri, quæ sit concedendo Mercatori operam contribuenti medietatem lucri, quæ mo- raliter proveniret tibi danti ducatos mille. Et quamvis hæsitandum esset de iustitia compen- sationis in proposito casu; eo quia lucrum cer- tum octo ducatorum pro centenario videtur magnum; & remissio aliorum octo ducatorum pro assicuratione fortis, & certitudine lucri vi- deatur parvum; nihilominus (attenta doctrina Cardinal. de Lugo d. disp. 30. num. 40. conce- dentis octo pro securitate capitalis, & lucri; & Lessii d. lib. 2. cap. 25. num. 26. & 27. id iudicio peritorum remittentis) non est arguendus de iniustitia casus noster; mercator enim, si mora- liter cognoscit, tibi sexdecim ducatos lucri pro centenario posse obvenire; & de periculo capi- talis parvam, aut nullam suspicionem habet, ius- tam compensationem suæ promissionis, & secu- ritatis reputat, recipiendo à te medietatem lucri tui, dando tibi pro centenario aliam medietatem. Non Tertium: quia ubi pecunia detur Mercatori verè, & realiter mercaturam facienti, non est di- cendum, aperiri ostium usuris, quod procederet, si passim cuicumque etiam non mercatori trade- rentur nummi (quod in praxi est semper caven- dum) aliàs neque census, neque livelli redimi- biles fieri possent; cum etiam in eis, nisi fundus verè venderetur, usura esset, ut notat idem Car- dinal. de Lugo d. disp. 30. num. 55. Non Ultimam de Bulla Papæ Sixti V. quia per ipsam non prohi- bentur pacta licita in societatibus, sed illicita tantum; ut testantur Cardinal. de Lugo, & Les- sius, ubi supra, ac Leotard. d. quest. 31. num. 13.

Quare concludendum est, nullam labem scæne- ratitiam extare in casu nostro; supposita tamen ea necessaria observatione, de qua diximus su- pra; nimirum, quod Mercator non adstringatur invitatus ad assicurationis contractum, sed ipse spontè, & liberè velit, assicurator esse. Cardi- nal. Tolet. d. lib. 5. cap. 41. Vers. Adverte tamen.

Porro alter casus est examinandus, qui in praxi est frequentissimus.

TU creditor es Ducatorum mille, quos tamen, nisi difficillimè potes exigere. Antonius dat tibi octin- gentos cum pacto, ut ei cedas creditum tuum Ducato- rum mille. Quæritur, An sit Usura?

Profacili hujus Casus resolutione, duo alii ca- sus à doctioribus examinati sunt.

Primus fuit: quando creditum est difficile ex eo, quia in ejus exactione necessariae sint expen- sæ, molestiæ, pericula, & imminet damna.

Secundus, si prædictæ expensæ, molestiæ, peri- cula, & damna, quamvis cuicumque exactori imminet; non tamen ipsi Antonio, ob ejus vel amicitias, vel industrias.

Circa Primum suppositum casum, concordi- ter omnes Doctores docent, licitum esse emere creditum exigendum minori summa, quam sit; siquidem ratione expensarum, molestiarum, pe- riculorum, & damnorum, tantum potest detrahi de summa debiti in pretio, quanti hæc omnia æstimari poterunt. Molina disp. 361. Salas de U- sur. dub. 27. num. 4. & de Empt. & Vend. dub. 39. Les- sius d. lib. 2. cap. 21. dub. 8. & 9. ubi ait, tantam esse posse difficultatem, vel incertitudinem solutio- nis, ut possit dimidio valore emi; quod appro- bat Cardinal. de Lugo disp. 26. num. 93. & segg. ubi ex hoc deducit, illicitam esse hanc emptio- nem crediti minori summa, quando nulla fo- rent molestiæ, aut expensæ, seu pericula, vel da- mna; quamvis enim eam admittant Cajetan. Verb. Usura, c. ultim. Sæ Verb. Debitum, num. 20. & 21. & Sanchez. lib. 1. consil. cap. 7. dub. 17. ubi alios allegat; ea ratione, quia non videtur in hoc casu esse mutuum neque reale, neque virtua- le, sed simplex venditio crediti, & juris exigendi illud; attamen non servatur æqualitas pretii cum re emptâ, dando scilicet ducatos mille in pretium octingentorum, & sic resultat iniustitia, & cum nullum aliud subsit periculum, vel in- commodum, quam dilatio exactionis, insurgit mutuum virtuale, in quo ratione temporis lu- crum exigitur, unde omnes contractus usurarii excusari possent sub hoc prætextu; & ideò omninò illicitum esse hunc casum, sive ob inju- stitiam, sive ob usuram firmat Cardin. de Lugo d. disp. 26. num. 96. & 97. Molin. disp. 361. & plu- rimi congesti à Salas de Usur. d. dub. 27. nec non à Diana d. par. 1. tract. 8. resol. 49. Quæ in Coor- dinato est tom. 6. tract. 3. resol. 80. in qua tamen contrarium probabile etiam ferè affirmat.

Circa verò secundum suppositum casum; non esse licitum Antonio emere minori pretio credi- tum difficile, & periculosum quoad alios, sed non quoad se ipsum ob suam industriam, vel amicitias (eo quia respectu Antonii idem est, ac si nullum esset periculum, vel incommodum) voluerunt Salas de Usur. d. dub. 27. num. 8. Mald. Molfes, & alii apud eundem Cardinal. de Lugo ubi supra num. 94. Contrarium tamen est verius; & ratio est, quia valor rei non debet sumi ex utilitate privata Antonii, sed ex communi æsti- matione, qua communiter æstimaretur, si propo-

proponeretur venalis; undè cum in communi æstimatione creditum illud minoris æstimeretur, quàm sit, fortunæ Antonii imputandum est, quòd ei commoda sit ejus exactio. Sicut, si equum indomitum, & ferocem, quem ea de causa alii emere recusant, Antonius vili pretio emat, sciens peculiarem modum illum domandi, justè emit; quia in communi æstimatione non plus valebat, sed ejus industriæ imputatur, quòd mansuescat, ut exemplificat Cardin. de Lugo d. disput. 26. num. 94. & docuerunt Molina d. disput. 361. Lessius lib. 2. cap. 21. num. 76. Bonacin. dist. tom. 2. disput. 3. de Contract. quæst. 3. punct. 10. & ipse Salas sibi contrarius de Empt. & Vend. dub. 40.

12 His ita constitutis facilis est resolutio propositi Casus; videlicet, esse Usuram, si difficultas exigendi Ducatos mille consistat in solo tempore, neque opus sit alio, quàm dilationem temporis; nullam autem esse Usuram, vel injustitiam, si insint pericula, lites, molestiæ, aliæve difficultates damnum, vel lucrum cessans, causantes; ut tenent, præter Doctores supra allegatos, novissimè Nicolius in Instit. Civil. lib. 3. tit. 15. sub num. 12. limitatione sed; & Cæsar. de Pannimoll. in Idea sedandi Jurgia Constitut. 5. num. 24. ubi observat, secus esse dicendum, si emptor esset principalis debitor, & ipse causaret difficultates, ut in praxi sæpè evenit cum potentioribus, qui defatigant creditores suos, potissimum religiosos, & pia loca, ut eos obligent acceptare debitum in minori summa, vel deteriori qualitate; hi enim iniquè operantur, & a Confessariis sunt acriter reprehendendi, & admonendi, ut melius consulant animabus suis, aliàs in peccatis vivunt, & in eis morientur, ac Dei justum judicium non effugient. Tamburin. in Decalog. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 8. num. 6. & 7. & eorum filii, ac hæredes ad summam egestatem rediguntur, ut latè probat Cornel. à Lapide in Prov. cap. 28. Vers. 8.

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Docet præsens Decisio, quando sit licitum dare in Societatem animalia æstimata ad caput Salvum, & cum obligatione, ut post quinquennium reddantur ad eandem æstimationem.

SUMMARIUM.

1. Juvenas æstimatas dare in Societatem, & ad caput salvum, an sit licitum?
2. Mutuum præsumitur, ubi pretium animalium in sociam datorum est restituendum.
3. Periculum animalium in sociam datorum spectare debet ad eum, qui dedit illa.
4. Sixtus V. in sua Constit. 45. damnat Societates animalium ad caput salvum.
5. Animalia dari possunt in sociam ad caput salvum, si relinquuntur sociis tot fructus, qui compensent eorum periculum.
6. Fructuum tertia parte dominus contentus esse debet, qui transfert periculum in socios.
7. Præsumptio mutui cessat ex evidenti veritate alterius contractus.
8. Animalia dare in sociam ad caput salvum sine compensatione periculi non licet.
9. Sixti V. Const. 45. non improbat pacta, quæ à DD. censentur licita.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. LX.

HIC autem resolvendum venit an sit usurarius sequens Casus, qui frequentatur in his regionibus, & præcipue in Diocesi Cene- tensi; undè Vir nobilissimus, ac sapientissimus dignatus est meipsum consulere. Casus est hujusmodi.

Cum sit in usu sequens Societatis contractus, videlicet: Herus dat colonis suis decem juvenas æstimatas justo pretio, quo eas emit; cum obligatione, ut prædicti coloni eas teneant per quinquennium titulo Societatis; & eidem Hero contribuant medietatem butyri, casei, & lactis, quod reddunt ipsæ juvenæ tempore, quo incolunt montes, id est per quatuor menses annuatim, à Kalendis Junii usque ad finem Septembris. Partus autem earundem juvenarum, & lac in aliis octo mensibus sunt colonorum; qui complero quinquennio vel solvunt Hero in pecunia pretium antedictum juvenarum, vel assignant in solutum tot vitulos justo pretio æstimatos, quot sufficiant pro supplemento valoris earundem juvenarum.

Quæritur, An talis contractus sit licitus, & communis à quacunque labe usuraria?

Prima fronte videtur respondendum, non esse licitum contractum, sed usurarium. Primo, quia cum Herus dat juvenas æstimatas, & vult pretium earum sibi esse restituendum juxta eandem æstimationem, censetur potius contrahere mutuum, quàm Societatem; mutuatur enim pecuniam colonis, cupientibus habere juvenas, ut eadem pecunia illas emant. Bartol. in l. Si ut certo. §. Nunc videndum. ff. Commodari Carocius de Locato quæst. 9. At ex mutuo illicitum est lucrum accipere. cap. Usura 14. quæst. 3. Ergo talis contractus est usurarius.

Secundò, Quia præcipua contractus Societatis conditio est, ut animalia in Societatem data stent periculo ejus, qui dat illa; quoniam in contractu Societatis Herus, qui illa consignat colonis, retinet earundem juvenarum dominium; undè fit, ut juvenæ pereuntes, vel in valore, seu pretio decrecentes, debeant Hero tanquàm domino perire, vel decrescere. S. Antoninus in summa 2. part. tit. 1. cap. 7. §. 39. Reginaldus in Praxi lib. 25. num. 402.

Tertiò, quia Sixtus Papa V. in sua Constit. 45. Incipien. Detestabilis Avaritia. damnat Societates animalium, in quibus fit pactum, ut capita remaneant salva; ita ut si animalium pereant, damnum sit colonorum, non autem dominorum, à quibus data fuerunt; prout Herus præ- tendit in proposito casu. Ergo contractus iste est illicitus, ac Usurarius.

His tamen non obstantibus, respondi supra- dictum contractum esse licitum. Ratio respon- sionis est, quia ex communi Theologorum, & Canonistarum consensu consideratur in præ- dicto Societatis contractu alter contractus asse- curationis capitum juvenarum, & valoris ea- rumdem per cessionem, ac dimissionem tum omnium vitulorum nascentium, tum totius la- cticiniæ, quod colligitur in octo mensibus anni; quæ quidem cessio, & dimissio facta per Herum ipsis colonis, compensat iisdem periculum, quod assument vel mortis, vel deteriorationis pretii, seu valoris juvenarum; & sic contra- ctus remanet licitus, tanquàm continens æqua- litatem, & compensationem, ut docent ex Mo- ralistis Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 25.